omnes mundi vanitates contempnens ad hec id sanctas
hortatur sorores. Quas cum psalmis et ympnis dei iu-
giter servire edocuit. // Post hec beata mater eius
Gerhildis est defuncta, cuius corpus abbatissa in basilica sancti
Stephani quam construxit venerabiliter est tumulatum. //
Non multum vero post beata Athala parentibus omnibus sororibus
et oratoribus post sacram communionem levi sopore dor-
miens obdormivit in domino. Cuius corpus iuxta cum reverencia
et devocione iuxta matrem eius est sepultum etc. Amen.

// De sancto Euchario :

Dicitur post quam beatus Petrus apostolus Anthiocenam
ecclesiam primus septem rexisset annis, pontum que
Gallaciam, Capadociam ac Bythiniam fide confirmasset,
primo anno Claudii cesaris Romam ingressus, fidemque
Christi signis et virtutibus comprobans XXV annis papatum
rexit. Cum igitur per totam Ytaliam eius fama percrebru-
isset, spiritu sancto edoctus Eucharium ab eo ordinatum episcopum
et Valerianum dyaconum, Maternum subdyaconum in partes Gal-
lie et Germanie ob predicacionis gratiam transmisit. Cumque
in quoddam castellum Gallie nomine Elegia pervenissent,
Maternus febre correptus non post multos dies vitam
finivit. // Beatus igitur Eucharius de morte fratris ni-
mium tristis assumpto Valerio Romam rediit conso-
laturus que a beato Petro suo quod baculo sibi tradito
Elegio ingredi et baculum super corpus defuncti ponere
iuberet. Qui cum fecisset statim qui per xl^a dies fuerat